



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Qua de causa dicitur quòd fides iustificet, id est, iustum faciat coram Deo peccatorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ore se iactant habere fidem, efficacia tamen Fidei nō sequitur, donec resipiscāt: effectum ergò Gratiaē non habent, nec illa manet in peccatis contra legem factis, etsi fides oris manet: ideò nihil valet illa fides. Ephes. 5. Hoc autem scitote, quoniam nullus avarus, fornicator, &c. 1. Corinth. 6. Neque molles, neq; fornicatores regnum Dei possidebunt, id est, dum sine cessatione pergunt in vitijs. Ideò filius hominis veniens, putasne inueniet fidem in terra? Lucæ 18. Vbi ergò est pœnitentia, emendatio vitæ & timor DE I atque præceptorum obseruantia, ibi adesse fidem veram demonstratur & agnoscitur.

CAPVT VI.

ARGVMENTA.

1. *Qua de causa dicitur quòd Fides iustificet, id est, iustum faciat coram Deo peccatorem.*
2. *Cur Apostolus dicit, quòd gratis iustificamur gratia ipsius Christi, Rom. 3.*
3. *Quomodo intelligendum quòd idem Apostolus dicit, quod iustificamur Fide sine operibus legis.*



VT clarè intelligatur, quare Fidei tribuitur iustificatio, oportet primùm notare promissionem Dei, nempe quòd Deus pater nobis promisit se velle nostrū misereri, delere peccata & remittere propter nomen Christi Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, &c. Item, promisit vitam credenti in Christum, Ioan. 3. His promissionibus Dei assentiri, credere, & velle sibi eas exhiberi, non aliter cōtingit nisi per fidem. Fides primò antè omne opus credit & assentit promissioni & verbo Dei, quæ credit veracem, & quòd impossibile sit, Deum mentiri.

tiri posse, Heb. 6. Et nunc propter hanc fidem, quòd credo diuinæ promissioni tanquam veraci DEO, quòd verbum eius est summa veritas, vult me Deus iustum pronuciari, & reputari iustum. Sic Abraham credidit Deo, & promissioni eius & verbo, atque hæc fides reputata est sibi ad iustitiam, id est, quòd cum DEVS iustum reputauerit, quia illi credidit, Genes. 15. Sic Deus per fidem preputium, id est, gentes, & ex fide circumcisionem, id est, Iudeos iustificat, scilicet qui credunt diuinæ promissioni in Christo nobis factæ antè omne opus.

Insuper rectè capiendum est, quomodò nunc fides dicitur iustificare, nempe apprehensivè, non effectivè: quod sic patet: Hoc enim quod nos iustificat effectivè, est extra nos, id est, ipsa gratia & promissio gratiæ propter Christum, est res extra nos. At fides est res in nobis existens atque optima virtus. Sed quoniam ipsa Dei misericordia, gratia, Deus iustificat effectivè peccatorem, ideò Deus nos non iustificat propter fidem, prout est virtus in nobis, qua meremur iustificationem. Sed quia fides credit & assentit & cupit gratiã promissam propter Christum, quæ gratia effectivè iustificat: Ideò fides dicitur iustificare, quia apprehendit Dei promissionem, & illi assentit, non quòd ipsa fides efficeret aut mereretur iustificationem: Misericordia & gratia Dei non potest apprehendi sine fide: Ideò cum dicitur, fidei iustificamur: sic est intelligendum, quòd misericordiæ fiducia iusti pronuciamur, aut per Dei misericordiam iusti reputamur credentes in Christum. Hæc omnia probat Apostolus Ephes. 2. inquires: Gratia enim estis servati per fidem, scilicet quia credidistis verbo & promissioni diuinæ, etli non ex vobis, quia gratia & misericordia Dei est res extra nos: Dei donum est exhibitio misericordiæ & gratiæ propter Christum, non ex operibus, id est, meritis nostris, ne quis dicatur
 felicitet,

scilicet, quòd suo merito & propria iustitia meruerit iustitiam, id est, remissionem & salutem. Tota res ergò in hoc pendet, vt credatur & assentiat promissioni diuinæ: Et hanc fidem Deus approbat, & exhibet gratiam, quæ iustificat effectiuè.

Apostolus inquit Rom 3. Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, &c. Quare signanter exprimit, particulam illam, gratis? Respondeo, vt conscientia turbata, esset certa de remissione peccatorum propter Christum: Nam perterrefacta conscientia non dubitat vtrum Deus remittat peccata: sed hoc disputat, an indignis, & vtrū gratis remittat, maximè quandò non præcesserunt merita, neque aliqua satisfactio aut obseruantia præceptorum: etiamsi præcesserint merita obseruantia præceptorum, non tamen certa est, an sint efficiencia, an possint placare irā Dei, quando nemo sic obedit legi Dei & seruat præcepta, sicuti deberet: reclamatione oppressa peccato, ne opus sic perfectè fiat, vt debeat: iam obijcit dignitatem, iam indignitatē. Ideò expressit signanter Apostolus particulā, gratis, vt conscientia cōsoletur, credens promissioni diuinæ, quòd propter Christū, propter quem promissio gratiæ facta est, & non propter sua merita, dignitatem & satisfactionem iustificetur, & Deus velit iustificare. Et ideò inquit gratis, vt promissio sit firma & certa, Rom 4. quia conscientia perpetuò dubitarent de remissione peccatorum, si penderet ex conditione dignitatis nostræ. Et quia hinc non dependet, remissio scilicet, sed à promissione gratuita Dei, ideò dicitur gratis: non tamen sic gratis, quasi particula excluderet pœnitentiam, fidem, sacramenta, &c. Sed sic, quòd beneficium transtertur in promissam misericordiam, quæ causa est iustificationis: & non in nostram dignitatem, vt sola gloria gratiæ Dei laudetur, Ephes. 1.